

P A R A D I S O

NON EXPECTATA CORPORUM RESURRECTIONE

A D V E R S U S

B U R N E T U M.

C A P U T I.

Proponitur Burneti sententia de retardata Iustorum Beatitudine usque ad postremi Iudicii diem. Loca Scripturarum & Patrum pro sua opinione ab eo laudata. Pessima consuetaria inde emergentia. Dolo malo heic ab eo actum.



Aucis exhibeo, quæ Burnetus hanc in rem est eloquutus. Postquam ostendit, Animas hominum substantias esse incorporeas, & immortalitatis prærogativa donatas: quærit, quis earum futurus sit Status, quoties per mortem a Corpore segregantur. An rectæ Impii, culparumve sarcina onerati, ad Inferorum pœnas trahantur, se nolle investigare e vestigio fingit. Ad Justos autem quod attinet, quos ante supremi Iudicii diem ad cœleste Regnum transfereandos a tot sæculis Respublica Christiana fere omnis censet, hæc ei sententia nullo fundamentò nixa, ac spes inanis creditur. Nam etsi Matth. V. 8. *Mundi corde Deum visuri* dicantur & I. Cor. XIII. 12. *visio Dei facie ad faciem* nobis promittatur: nihilominus id tantummodo eventurum contendit post Resurrectionem Corporum. Tunc enim, & non antea, in Epist. Prima V. 4. Sanctus Petrus *Coronam* fidei Pastoribus pollicetur. Paulus quoque Secunda ad Timoth. IV. 8. *Coronam justitiæ* repositam sibi *in illa die* scribit. Et Cap. I. 12. eisdem Epistola, *Certus sum*, inquit, *quia potens est Deus depositum meum servare in illum diem*. Proinde, si illum audimus, componi hæc minime possunt cum eorum opinione, qui statim a morte Animas Iustorum ad summam gloriam, Improborum ad æternas pœnas transferri arbitrantur. Accedit, quod in Scripturis mortui dormire dicuntur, & *expergesieri in die Iudicii*. Apostolus vero Prima ad Thessalonicens. IV. 13. non a Beatitudine illico post mortem ineunda, sed a Resurrectione, reditaque glorioso Christi, spem & solatium Christianis esse capiendam scribit, inquiens: *Nolumus autem vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini, sicut & ceteri, qui spem non habent. Si enim credimus, quod Jesus mortuus est, & resurrexit: ita & Deus eos, qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo* &c. Totam pariter

De Par.

A

ter